Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2941
Quelle:
Copyright:

Monumenta, maxime *Rubricarum* ergo, olim lucem adſpiciat.

DCCCXII.

168 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 107. f. per duas columnas eleganter exaratus et rubricis diſtinctus eſt *Liber rituali Eccleſiae Patavienſis* Praeſule *Leonhardo de Layming*, qui ab anno 1423. usque ad annum 1451. ſedem occupavit. Eruitur hoc ex Formulis *f.* 56. p. 2. quibus Presbyteri recens ordinati preces fundere jubentur: *Signanter tamen orabitis pro dyoceſano noſtro Leonhardo paſtore et gubernatore Eccleſie Patauienſis* &c. *Etiam orabitis pro Sereniſſimo Rege noſtro Romanorum Rege Sigismundo* &c. *Signanter orabitis pro Illuſtriſſimo duce Alberto duce Auſtrie. et pro alijs omnibus ducibus Auſtrie Stirie Karinthie* &c. Initium Codicis facit *Elenchus* miniatus *Rituum et Benedictionum. Fol.* 10. p. 2. in *Litaniis majoribus* invocantur etiam tutelares Eccleſiae *Valentinus* et *Maximilianus*. A *fol.* 96. calamo currenti uſus eſt Librarius, et poſthac in *Conſecratione Epiſcopi f.* 97. p. 2. notari meretur interrogatio: *Vis ſancte ſalczpurgenſi eccleſie videlicet metropolitane tue debitam ſubiectionem et obedientiam exhibere?* Reſp. *Volo*. Formulam hanc *Rituali* rurſus inſertam fuiſſe autumem poſt Bullam *Martini* V. anni 1423. mira inſtabilitate revocatoriam Exemtionis a ſe et anteceſſoribus ſuis Sedi *Patavienſi* conceſſae, neque adeo fortaſſis invito *Leonhardo*, ut qui infulas *Eberhardo Salisburgenſi* deberet, in cujus arbitrium Partes conſenſerant. Vide hac de re *Marci Hanſizii Germ. Sacr.* T. I. p. 504. ubi deinceps p. 538. Codicis etiam noſtri mentionem habes.

Praetexta eſt illi membrana continens mandatum a *Wolfg. de Lytſchaw* et *Thoma Zech* presbyteris datum *Henrico Stephano* et *Wilhelmo* ſcriptoribus *Cancellariae Epiſc. Patav.* ad petendam iis et eorum nomine a *Leonhardo* Ep. inſtitutionem et inveſtituram, nomine quidem *Wolfgangi* ad Paroeciam *S. Margaretae in Haydenreichſtain* a *Friderico* Rom. Rege Duce *Auſtriae* jure Patronatus praeſentati; nomine vero *Thomae* ad Paroeciam *S. Joh. Bapt. in Seyfrids* a *Michaele* Plebano in *Lytſchaw* Patrono illius Eccleſiae nominati. Datum a. 1447. *Indict.* X. *Die* 4. *Febr.* Nomina teſtium eraſa ſunt. Signum Notarii *Erhardi de Aſparn*.

DCCCXIII.

Codex membraneus lat. Sec. 403
XII. Folior. nunc 79. 4. charactere ſat minuto, multisque rubricis diſtincto *Liturgicus* eſt, hisque praecipuis conſtat Partibus: I. *Calendario* eccleſiaſtico - aſtronomico, quod non modo ad quemvis diem multorum *Sanctorum* Nomina, ſed plerumque verba etiam initialia *Miſſarum* de iis celebrandarum exhibet, Solis item Lunaeque motus, Cycli,

 Epa-